

motus, in Quirinalem collem pervenit; ibique omnibus solenniter peractis, eadē revertens similiter constanti vultu graduque, satis sperans, propitos esse deos, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset, in Capitolium ad suos rediit: seu attonitis Gallis miraculo audaciae, seu religione etiam motis, cuius haudquaquam negligens gens est.

2. Quum Camillus pergeret ad delendam urbem Veios, decimam partem praedae voverat Apollini. Urbe capta ac direpta, ut sine mora voti liberaretur, senatus misit longa una nave tres legatos, qui ferrent Delphos crateram auream, donum Apollini. Hi haud procul freto Siculo, a piratis Liparensium excepti, devehuntur Liparas. Mos erat civitatis, velut publico latrocino partam praedam dividere. Forte eo anno in summo magistratu erat Timasitheus quidam, Romanis vir similior, quam suis. Qui legatorum nomen, donumque, et deum, cui mitteretur, et doni caussam veritus ipse, multitudinem quoque, quae semper ferme regenti est similis, religionis justae implevit: adductosque in publicum hospitium legatos, cum praesidio etiam navium Delphos prosecutus, Romam inde sospites restituit. Hospitium cum eo senatusconsulto est factum, donaque publice data.

CAPUT XI.

PUBLICA RELIGIO PRIVATIS AFFECTIBUS PRAELATA.

1. Quum Galli ad Romam ferro et igne vastandam accelerare dicerentur, et nulla spes esset, urbem posse defendi: multi Romanorum per agros dilapsi sunt, multi urbes petierunt finitimas, asportantes quaecunque habebant pretiosissima.— Flamen interim Quirinalis, virginesque Vestales, omissa rerum suarum cura, quae sacrorum secum ferenda, quae (quia vires ad omnia ferenda deerant,) relinquenda essent